

IV. fol. 229. eodem modo *Ezechiël*, nisi quod a C. XXXVI. v. 22. ab ipso Prophetæ textu manum abstinuerit Librarius, relictoque spatio folam *Lyrani* circumdederit interpretationem.

In exteriori Theca deprehensus est fugientibus ductibus: *M. Conradus Salter*, quem eundem puto cum *Conr. Salder de Rotnacker*, quem ab a. 1449. ter Decanatu Philosophico functum tradit *Locheri Speculum Acad.* An vero is Commentaria hæc Auditoribus praelegerit, an solum possederit, in incerto est.

LXXV.

R. 907 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 208. f. per columnas jam plures, jam pauciores luculente et eleganter exaratus, coloribus distinctus, quondamque Collegii S. J. *Viennæ* continet I. *Prophetiam Ezechielis* cum Glossa ordinaria, interlineari, et Postillis *Nic. de Lyra*, quibus facer Textus diversimode aut circumdatur, aut stipatur pro lectorum nempe commodo. Adest *Praefatio Hieronymi*, cui mox adjungitur prolixus locus *Gregorii M.* de triplici Tempore *Prophe-tiae ex Homil. I. in Ezech.* atque ita per decursum etiam interpretis iste in subsidium vocatur.

II. fol. 154. Succedit eodem modo adornata *Prophe-tia Danielis*. A Cap. XIII. five *Susannæ* Historia sensim deficiunt Glossatores, et Cap. XIV. ad v. 17. ultimus expirat Interlinearis in ver-
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

ba: *Rex exclamavit uoce magna*, ita commentans: *Videtur hic falli (quis? an Daniel?) quod solet dici, magnam uocem non esse nisi in sanctis tantum; sed hec pericope apud grecos non est.* Non certe apud LXX. Verum, an non meminit *Hieronymi* ad finem Cap. XII. notantis: *Cetera quae sequuntur usque in finem Libri, de Theodotionis editione translata sunt?* Ibi enim legitur: *ὁ βασιλεὺς ἔκονσεν φωνὴν μεγάλην.* Ceterum si Codex hic elegans olim pars fuit, ut videtur, universi Operis biblici glossati, dolendum sane est, partes distractas fuisse.

LXXVI.

R. 3171 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 134. f. columnis binis, ternisve nitide exaratus, coloribusque speciosus complectitur XII. *Prophe-tas Minores* ab *Osea* ad *Malachiam*. Praefationibus et Argumentis solitis praemissis, et utraque Glossa tam ad margines, quam inter lineas adstituta, unde duplex character: major Textus, minor τῶν Παρεργῶν. In ora infera fol. 2. ab alia manu notatur: *Exp-positores hujus libri Apollinaris Laodicensis, Origenes, Pierius, Eusebius Caesariensis, Didymus, Hieronymus*, quorum 1. et 3. non nisi ab *Hieronymo* commemorati.

LXXVII.

R. 3308 Codex membraneus lat. Sec. primum XIII. dein VIII. Folior. nunc 179. f. utrobique eleganter
H exara-

exaratus, literis capitalibus pietatis, minioque distinctus completur I. lineis longis *Libros Machabaeorum*, quorum prior Breviarium *Capitulum LVII.* ante se, posterior vero *Capitulum LV.* post se habet. Textus quandoque leuius a Vulgata variat. Ita L. I. c. I. *virtutem exercituum pro virtutem et exercitum. Et tenuerunt pueri ejus pro obtinuerunt. Radix peccati deleto rix*, quod jam scriptum erat. *Iustitias gentium pro iustitiam.* L. II. c. 12. *offerri pro peccato sacrificium pro offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, magis videlicet ad graecum *πειραματίας θυσιας*. &c.

II. deinceps manu luculenta Sec. VIII. columnis 2. angustis: *Incipit Epistola Ad Romanos.* Sequitur *Ad Corintheos Prima, Ad Thebisonicenses*, quae est II. denique *Ad Philamonem.* Textus hic Pauli in minores *Περίκτορας* divisus est, quarum Epistola I. censet 51. II. 71. III. 9. et IV. 4. In I. Membranae compactoris vitio aliquantum turbatae sunt. Calami errores non adeo frequentes occurrunt.

III. et quidem fol. 118. eadem conditione succedit Series *Homiliarum* seu *Lectio* XVIII. Gregorii M. et Augustini, quas oportet excutere. 1) *Omelia Sancti Gregorii De Decem Uirginibus.* Init: *Saepe uos ammonedo fratres karissimi praua opera fugere* &c. Est L. I. *Homiliar. in Evang. n. 12.* ut edit. Maur. T. I. col. 1476. 2) *Omelia Lektionis Ejusdem*, id est, Evangelii sec. *Lucam C. 8. v. 4.* Init: *Lectio Sancti Evange-*

lii quam modo &c. ut T. cit. col. 1488. n. 15. 3) Sub hoc Rubro: *Quae sunt instrumenta bonorum Operum*, longa Enumeratio Officiorum Perfectionis Christianae, quae incipit: *In primis dominum deum diligere ex toto corde tota anima tota uirtute; deinde proximum tamquam seipsum; deinde non occidere, non adulterare* &c. et concludit: *Officina uero ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.* 4) *Incipit Lectio de Natiuitate Domini.* In primis de *Incarnatione D. N. J. C.* Ita: *Legimus moysen populo dei praecepta dantem* &c. Nulla Augustini mentio; recte etiam a Maurianis in *Adpend. T. V. col. 401.* amandatus Sermo, quamvis vetustus. 5) *Incipit Sermo Sancti Augustini De Natiuitate D. N. J. C. De Concepto Sanctae Mariae.* Ita: *Castissimum marie uirginis uterum* &c. Eodem remissus ad col. 324. inventus tamen etiam in Codicibus admodum vetustis. 6) *Incipit Sermo Sancti Gregorii In die Natalis Domini.* Ita: *Quia largiente domino missarum* &c. ut T. supra c. L. I. n. 8. col. 1460. 7) *Incipiunt Omelias (sic) Lektionen De Theophania.* Ita: *Hodierni diei per uniuersum mundum* &c. Est Augustini IV. de *Epiph. Opp. T. V. col. 914.* 8) *Incipiunt Omelie Sancti Augustini Episcopi De Epiphania.* Ita: *Intellegere possumus fratres karissimi quantam gratiam* &c. Sermo rejectus in *Adpend. col. 242.* 9) *Euangelium Ubi D. N. J. C. Baptizatus est Idemque Ut Legitur*

tur psalmo XXVIII. Init: *Dies Epiphaniarum grego nomine sic uocatur. Quod enim apparitionem &c. Citatur nempe in hoc Serm. illud Psalmi 28. Vox Domini super aquas. Ceterum spurius est, et quaerendus Adpend. col. 246.* 10) *Incipit Sermo Sancti Augustini Episcopi De Quadragesime. Ita: Moyses quadraginta diebus &c. Collocatus in Adpend. col. 255. ubi aliquot lineae: Adest nobis venerabile &c. praecedunt.* 11) *Incipit Omelia in Uigilia Pasche. Ita: Domini nostri ihesu christi saluatoris et honorabilis solemnitas sua fauente clementia &c. Emendatius initium dabo in Homiliario Sec. XI. verum et ibi fatebor, Autorem mihi compertum non esse.* 12) *Incipit Omelia Sancti Augustini episcopi De Prima Die Pasche. Ita: Non queo fratres karissimi quod mente concipio &c. Reposita in Adpend. col. 282.* 13) *Item Sermo Sancti Augustini de Pascha Domini Init: Pascha christi dilectissimi regnum est caeli &c. Pariter in Adpend. remissus col. 292.* 14) *Omelia Sancti Augustini episcopi In Natal. Sancti Iohannis Baptistae. Init: Natalem sancti iohannis fratres karissimi hodie celebramus &c. Denuo subposititia et nunc in Adpend. col. 329.* 15) *Incipit Omelia In Natale Apostolorum Petri et Pauli. Ita: Cum omnes beati apostoli parem gratiam &c. Etiam Ambrosio et Maximo tributus legitur in Adpend. col. 335.* 16) *Omelia In Natal. Mar-*

tyrum. Init: Cum omnium sanctorum martyrum &c. Maximi Taurin. est, ut habes edit. Rom. 1784. col. 261. f. 17) Incipit Sermo Sancti Augustini de Natale Sancti Stephani. Ita: Ihesus filius naue in heremo pugnabat &c. Parum abfuit, quin a Maurianis in Adpend. rejiceretur; legitur tamen T. V. col. 1482. In calce Exempli nostri habet Formulam Augustinianam: Conversi ad Dominum &c. 18) *Incipit Alius eiusdem. Ita: Quoniam uideo nostras disputationes grasio &c. Et iste collocatus est merito in Append. col. 359. lineisque 15. ultimis multatus in Codice. Ergo ex tot Sermonibus unicus indubitato genuinus, quem tamen e collatione multum infra editorum perfectionem deprehendi.*

LXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3245 XIII. Folior. 160. 8. per duas columnas nitidissime scriptus, coloribus illustratus, et quondam Bibliothecae Civicae Vindobon. est Novum Testamentum praevio Calendario, quod, quam infrequens Sanctorum Nominibus, tam repletum rudibus Picturis Signorum Zodiaci et Operum rusticorum, atque ejusmodi terribiles visu formae, ad quas nec auro quidem pepercit Miniator, etiam deinceps ad initia sacrorum Librorum passim occurrunt. Placent Versus singulis Mensibus subscripti: